

Heinz Hofmann (Groningen)

Wednesday October 21 4:00 pm
Room in Denny (TBA)

Ferdinand's Catabasis and the City of Error

**Philosophical and Literary Traditions
versus Contemporary Moral Criticism in the
Columbus Poem (1715) of Ubertino Carrara.**

During a nocturnal mutiny of the crew shortly before the landing on the first island in the New World, Ferdinand, the son of Columbus, fell overboard while he was pursuing the leader of the mutineers and supposed murderer of his father, a certain Alvarus. Since this event Ferdinand has been thought to be drowned (6, 119-384). In 9, 251 ff., however, the reader is informed by Duellum, one of the figures of the divine machinery, that Ferdinand is still alive and will be used by the infernal demons, who oppose the Christianization of the Indians by Columbus, as tool for the destruction of the Spanish fleet. At the beginning of Book 10 the narrator reports what has happened to Ferdinand since he has fallen overboard during the mutiny in Book 6. Ferdinand was taken by a nymph to the submarine palace of Aletia, the personification of Truth. Aletia first taught him the main topics of natural philosophy (origin of rivers, gems, metals etc.). This first part of her teaching was closed by a demonstration of the telescope with which Galilei would make his famous discoveries in 1610. After this teaching she gave him a few days to rest. Here the passage on the City of Error begins (l. 209 ff.).

Finierat; requies paucis concessa diebus
 utque fuit juvenemque videt doctissima virgo 210
 ulteriore sitim cupientem extinguere vero,
 talibus alloquitur: "Naturae arcana latentis
 sit tibi nunc libasse satis. Magis ardua scitu
 jam referenda manent, fallendi scilicet artes
 insidiaequae dolique, vafer quibus orbis abundat, 215
 a quibus, ut merito quereris, deceptus et ipse es.
 Sub sensus quodcunque cadit, sat sensibus uti
 ut noscas, sed ut ista scias impervia mentis
 humanae figmenta, fidem tibi demere prorsus
 fas oculis nullique minus quam credere visis." 220
 Haec ait impositoque comis velamine tersi
 velleris antetulit gressum, non impare passu
 hic praecedentem sequitur. Licet invius esset
 callis et, aetherias quoniam referebat ad auras,
 arduus ascensu, doctis sermonibus illa 225
 mollit iter durumque negat sentire laborem.
 Ut convexa super tandem venere, refulsit
 ilicet urbs eademque procul pulcherrima visu.
 Ex Apennino non sic apparet Hetrusco
 undique circumfusa suis Florentia villis, 230
 non ita Threjicio venientibus aequore nautis
 fronte tripartiti prospectus obvia se dat
 urbs, princeps urbes inter dignissima credi,
 ipsa etiam, a magno quia condita Caesare, Caesar,
 qualis ad has aspectus erat gratissimus aedes. 235
 Urbs ut pulchra, simul via pulchra ferebat ad urbem.
 In declive tamen flexus tam lubricus, ut cum
 pes eat in praeceps, se non intelligat ire.
 Porta erat ante oculos bipatientibus obvia valvis
 noctes atque dies. Portam super imminet arcus 240
 et monet intrantes carmenque legentibus offert:
 'Hac iter ad Verum: disces hic plura Platonis
 quam vigil ad platanum, totum si Nestora vivas.'
 Legerat et versum pariterque expenderat hospes.
 Tunc mirabundo similis "Dic optima", fatur, 245
 "index iste loci titulus monitorque salubris
 de vero num vera monet? Si florida visu
 semita, si doctrix delectat et erudit una,
 quis fieri sapiens, quis eam calcare recuset?
 Corporis illecebrae sunt quando viatica menti, 250
 utile miscetur dulci parvoque paratu
 et licet et fas est in Palladis arce locari."
 Vix bene quaesierat, reddit cui talia virgo:
 "Amplior in falsum semper via, ducit et illuc
 haec, paritura rosam passu quae spondet in omni. 255
 At quia nemo sciens errorem amplectitur, in se
 ducat ut errantes, in verum ducere dicit.
 Non iter ad falsum velut est, ait esse, nec esset
 mendax, se quando mendacem diceret esse.
 Atria, tecta vides urbis praebentia formam 260
 non inconcinnae et speciem ridentis amicum.
 Si sapis, infidae properes ne fidere fronti:
 Omnia gypsus habet, nebulisque simillima crede
 aëre depictis, Tempe quae Thessala saepe,
 saepe figuratos simulant Babylone tapetas; 265
 intus fulmen alunt suspectaque tela colonis.
 Amphiopum locus hic: Nec et hos ita crede vocari,
 quod geminos uno gestent in corpore vultus,

ambiguo quales appingit fabula Iano,
extima sed facies quia dissidet interiori 270
altera et alterius sic frons a fronte repugnat,
corporeas Ironias ut vivere credas.
Cautus ut hos fugias, non ut secteris, oportet
noscere. Detestanda licet vitandaque semper
sint mala, notities non est vitanda malorum. 275
Quanta sit et lateat gravitas in crimine, nemo
numine plus novit, plus illo nullus et odit."
Haec ait et pariter loca consita fraudibus intrant.
Vixque pavementum plantae tetigere dolosum,
(mira fides!) coepit tellus contraria vero 280
dicere: Pes redeat, vestigia monstrat euntis;
procedat, redeuntis habet. Nec dissona ab illis
esse vident, pecus Herculeum quae fixa reliquit
cum sua Aventinum vulgarent furta latronem.
Paulum progressis Maeandri tortilis instar 285
limpidus objicitur sinuosis flexibus amnis,
in mare qui rapido nunc gurgite fertur aquarum,
nunc, quasi poeniteat, vertit retrogradus undas
obstat et ipse sibi venienti: Credere posses
discere mentiri, qua praeterlabitur urbe. 290
Pons erat impositus, pontem super ex alabastro
effigies, omnes Graji molimine scalpri,
astus foeminei celebres et ab artibus omnes.
Antea alias, infida minus, magis omnibus audax
Alcidae conjux Iole mendacia prodit, 295
ausa Cleonaei pellem gestare leonis
armaque debilibus non responsura lacertis.
Colchis post illam speciem ridentis et una
os donantis habet, manibus fert aurea nuptae
galbana: Dona cave, flammam in cyclade claudit!
Tyndaris ut blandum spirans occurrit Atridae 300
fausta decennalis brumae post bella reverso!
Veste tegit gladium noctu sparsura cruorem.
Adversa se fronte vident et fronte serena
utraque perfidiae celandae callida, Phaedra 305
perdat ut Hippolytum Sthenobaeaeque Bellerophonem.
Ore jocisque procax cultu confessaque patrem
apparet Circe, sed non in divite virga:
Horretur mala fertilitas, quae monstra theatri
mille daret, dare monstra capax miranda vel Afris. 310
Tale decus pontis. Pontem prope foemina cultus
eximii nec dote minus praestabilis oris,
nixa super cubitum defensaque palmite myrti,
visa brevem mediae somnum captare diei.
Gorgone ceu visa obrigit Fernandus et "O, quae", 315
exclamat, "species! Europae plurima vidi
oppida, non Italiae tantum spatiator arenae,
sed fateor vel pace tua, mea patria: Nostri
nunquam alias oculi tanti meminere decoris."
"Expecta paulum", subrisit diva, "videbis, 320
cujus in obtutu capitis praeconiā perdas,
istius an mereant contendere labra pyropis,
ora Tarentinae decertent aemula lanae,
aequent colla nives, bigae Titanidos aurum
fluxerit in crines, tituli sint denique veri, 325
quos dat adulatrix in laudem prodiga sexus

Musa, perinde metris mendax ac foemina forma."

Dixerat et veli partem seducit ab ore
deque oculis patiens minimum prodire nitoris
percussit juvenem velumque repente reducit. 330

O superae mentes nostrarum a faece remotae
materiae, vestrae proh quanta potentia lucis!
Pene admota virum tetigit scintillula, raptim
lumina purgavit. Qui postquam a virgine diva
ad commendatae rediit spectacula nymphae, 335

respexit puduitque sui: Quam viderat ante
credideratque Helena dignam certare Lacaena,
hanc Hecubam reperit: Momento temporis omnes
defluxisse rosas laudataque lilia cernit.
Aversantem oculis canos maciemque cutemque 340

strigosae vetulae tum diva redarguit: "Illa haec
foeminea est species, de qua bellatur et in quam
collimant juvenum suspiria foedaque saepe,
vota senum; quam conspiceres cum primitus ipse
esse tot es visus de delirantibus unus. 345

Scire cupis, nequam mulier verique decoris
indiga decoctae damnum reparare juventae
qua ratione queat? Geminam circumspice ripam
prastereuntis aquae: Minio rubet altera, candet
altera cerussa. Petit hoc cataplasmata coeno, 350

unde genas jubeat revirere December anilis.
Nil tamen efficitur lota cute: Quin sibi damno
viscata est facies, rugas citat atque placere
definit ante diem nimis anxia forma placendi.
Arte carens species divini particulam oris 355
quaeque refert, annis non est obnoxia, vernat
jugiter inque dies augescit et aucta redundat
non secus in corpus quam quae prope numine viso
mens fruitur, sensus extra jubet inde beari."

Vix ea, praetereunt pontem. Regina viarum
augusta hinc illinc picturatis apothecis
excipit intrantes mercesque emptoribus offert.
Non tot in Adriaca vicus ditissimus urbe
exponit merces utroque ab sole petitas,
hic quot habet cerussati tectoria recti. 365

Falsoles operum corruptoresque bonorum
si numerare velim, dicam, quot in horrea parva
formicae frumenta ferant, cum tempore verno
non resides animo spectant hyberna sagaci.
Consuit hic tumidos illorum de genere utres, 370

quos Laërtidae dedit Aeolus, implet eosdem
laudibus immodicis et quaeritur emptor in aulis.
Lemniaco longe solertior ille magistro
exiguos hamos elimat et instruit esca,
ut majora datis per munera munera captet. 375

E tereti phialas vitro pars extruit amplas,
inde colorata circumlinit iride, solo
aëre quas complet; sed et hae promissa potentum
insincera docent et inania pondere verba.
Heu miseri, dominis qui sub fallacibus istis 380

subdunt colla jugi patientia! Sumere tandem
praemia pollicitis dum respondentia fidunt,
implevisse vident, implent quas Belides urnas.
Texere nonnulli vestes pellesque laborant

palpatu molles, Phrixei dixeris agni, 385
 aulicus occultat quibus ora ferina Lycaon.
 Pars auro pateras, gemmis committere lances
 pars studet, unde patres, decepti munere blando
 ditis amicitiae, sectos in fercula natos 390
 damnentur coenare, bibant aconita Neronas.
 Quid magis excelsum sophia dabis? Invenit astus,
 hanc tamen ut simulet: Passim venalia pendent
 pallia personaeque imitantes ora sophorum
 (quis credat?) vel Cecropiis accita Lycaeis: 395
 ora Heracliti jugi manantia fletu,
 ora senis Samii linguam testantia mutam
 Socraticumque supercilium maciemque Cleanthis.
 At non huc locuples multo sale, fervidus idem
 nec metuens a nocturna pallere Minerva,
 emptor at accedit Mida saepius, ut videatur 400
 Pittacus, et se Margites pro Crantore vendat.
 Arte quid egregius bellandi? Nec tamen hujus
 artis adulter abest: Turpes belli Ganymedes
 hoc saepe emporio galeam mercantur et hastam.
 Sat sibi blanditi: Modo summa de cute fortes 405
 introrsum Patrocli, coram fateantur Achillem.
 At persona diu raro tenet, et cito ficta
 in morem redeunt. Fac decretorius ensis
 venerit ad capulum: Quem frons habitusque ferebant
 Aeaciden, timidae produnt Actaeona plantae. 410

Dumque ita Fernandus sine corpore corporis umbras
 inspicit ingeniumque hominum miserabile culpat
 fictis velle frui, veri quasi copia desit:
 Ecce foro in magno facies assurgere templi
 visa, decora, ingens, et quales barbara quondam 415
 dicitur Aegyptus, tales attollere coelo
 Pyramidum moles et virgatos obeliscos.
 Constitit hic hospes vultuque in virgine fixo
 "Extima si species adeo praestabilis", inquit,
 "intima qualis erit? Qui Juppiter et Venus et Mars?" 420
 "Ingrediamur", ait tunc virgo, et limine presso
 vix introgressi templum (proh turpe relatu!)
 foedior ex omni brutorum plebe tenebat
 aurum, marmor, opes, altaria cercopithecus.
 Subrisit juvenis; ridenti diva reponit: 425
 "Rides jure, foris quod tam formosa sit aedes,
 tam deus informis, propter quem conditur aedes.
 Larvata, hinc discas, quid praestet Hypocrisis: extra
 praefert Penelopen, sub pectore Thaida condit.
 Relligione quid esse potest augustius? Hujus 430
 mercata endromidem procedit Hypocrisis, effrons
 tanto plus, quanto virtute in principe mendax.
 Est onerosa quidem regalis sarcina tergo.
 Dummodo decipiat pietati et debita verae
 praemia surripiat, leve sit gestare, quod odit. 435
 Pejor et haec ideo reliquis falsoribus: Omnes
 in numen peccant. In numen abutitur ista
 numine, quo credi pia possit, ut impia perstet."
 Dixit et egressi templo lustrare parabant
 caetera, quae facies urbis gypsata tegebat. 440
 Ecce sub introitum qui venerat obvius, idem
 obvius arcus adest et idem quoque carmen habebat:

'Hac iter ad verum.' Fernandus ut aspicit, haesit
veridicamque ducem paucis interrogat: "Ergo,
o dea, curriculo tantum profecimus isto, 445
ut, quo dimisit nos porta, referret eodem?"
Cui virgo: "Quicumque erroris tramite fertur,
hoc habet, ut spatii quo plus putat esse peracti,
hoc agat ille minus: Nil proficit, idque docere
fixa pavimento poterant vestigia, quae cum 450
huc caperemus iter, speciem redeuntis habebant.
Tu modo, notitiam rerum per utramque probatus,
verum disce sequi tantoque libentius acrem
sectandis animum virtutibus adjicias, quo,
qui malunt non esse, boni voluere videri. 455
Jamque vale, magnosque metus nil posse ferendo
prode. Ut inoffensum pridem tutela sub undis
te mea servavit, posthac per et aspera terrae
et per iniqua maris pariter servabere sospes."
Haec effata comis festina removit amictum. 460
Ut nudae patuere genae, simul ipsa simulque
crustata ex oculis evanuit urbis imago.
Tecta ubi constiterant venalibus ante superba
mercibus Amphiopesque aliena pelle decori,
huc migrant pisces subitumque supervenit aequor. 465
Fraenato delphine sedens apparuit extans
more equitis mediis Fernandus inobrutus undis.
Tres noctes totidemque dies maria invia circum
fidum vector onus dorso portavit amico,
Cannibalis donec jam tandem exponeret oris 470
Hispanisque novum donaret Ariona fastis.